



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117794**

§. 25. Judæi Alexandriae pulsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

hanc traditionem ut verum recipitur, Sæculum V. A.C. 415.  
 Prophetam Zachariam, cujus Reliquiæ

inventæ sunt, fuisse filium Jojadæ, non  
 vero Barachiaë filium, cujus Prophetiam  
 habemus. (\*) Corpus Prophetæ inte-  
 grum erat, quamvis tot Sæculis sub terra  
 jacuisset; capilli arctissime rasi, nasus  
 erat rectus, barba mediocris, caput exi-  
 guum, oculi depressi, & superciliis tecti.  
 Verba sunt Sozomeni, cujus Historia,  
 nempe quod ex ea nobis superest, hic fi-  
 nitur. Post hæc inventionem Reliquia-

rum S. Stephani referebat, & narratio- Soz. IX. c. 16. Id. præf. p. 324.  
 nem deducebat usque ad annum 439. & Acta Cyri, & Jo. ap. Sur. 31. Jan.  
 decimum septimum Consulatum Theo-  
 dosii junioris, quo imperante scribebat.

S. Cyrillus, Episcopus Alexandrinus, et-  
 iam Reliquias SS. Martyrum Cyri, & Jo-  
 annis Manutham prope Canopum trans-  
 tulit, ut ibi Dæmonum potentiam, jam  
 occisam, penitus deleret.

§. XXV.

*Judæi Alexandria pulsi.*

Circa id temporis S. Cyrillus Judæos Socr. VII. c. 13.  
 Alexandriaë expulit. Occasio hæc  
 S 5 erat,

(\*) In hac opinione alia quoque oritur quæ-  
 stio; cur Zacharias filius Jojadæ hic Propheta  
 dicatur, cum alias nullibi, nec a S. Hieronymo  
 in sua Homilia in c. 23. Matthæi, Propheta ap-  
 pelleretur.

Sæculum V. erat. Cum quadam die Orestes, urbis  
A.C. 415. Prætor, munere suo fungeretur, non mu-  
 li Christiani, Episcopo addictissimi, pro-  
 pius accedere, ut Prætoris Edicta pete-  
 rent; inter alios aderat aliquis, cu-  
 jus nomen Hierax, Ludimagister, ferventi-  
 simus Episcopi auditor, & eo conciona-  
 te ad ciendos plausus promptissimus. Ju-  
 dæi, veteres Christianorum inimici, tunc  
 que forte occasione quorundam ludio-  
 rum excitatiores, conspecto in theatro  
 Hierace, illico exclamare; ideo certe ve-  
 nisse, ut seditionem commoveret. Ore-  
 stes jam diu offensus Episcoporum potes-  
 tia, quæ Prætorum Auctoritatem obfusca-  
 bat, facile credidit, a S. Cyrillo missum,  
 ut sua mandata carperet; itaque com-  
 prehensum Hieracem publice in theatro  
 virgis cædi jubet. S. Cyrillus re com-  
 perta, vocatis Judæorum præcipuis,  
 graves minas ingessit, nisi Christianos  
 laceßere desinerent; sed inde fæx vilissi-  
 ma populi multo magis efferbuit; nocte  
 Christianos invadere statuunt, in conju-  
 rationis signa annulos ex palmæ foliis fu-  
 munt, atque emissarios in omnes urbis  
 regiones spargunt, qui clamarent, Eccle-  
 siam Alexandrinam a flammis correptam.  
 Dum undique Christiani accurrunt, Ju-  
 dæi in inermes irruunt, & maximam strage-  
 gem edunt. Ubi illuxit, auctores mife-  
 randæ cædis patuere; tum S. Cyrillus  
 magna

magna populi multitudine cinctus, ad <sup>Sæculum V.</sup> Judæorum Synagogas se confert, has re- A.C. 415.  
bellibus aufert, atque tantam pestem ur-  
be ejicit; bona, domosque Christiani di-  
ripiunt. Hoc pacto Judæi Alexandria  
expulsi ubi ab Alexandri Magni, Funda-  
toris ejus ætate, habitaverant. Hæc res  
Orestis minime probabatur, gravissimum  
malum ratus, quod ea urbs subito tanto  
civium numero privaretur. Factum per  
epistolas ad Imperatorem defert, ad quem  
Cyrillus quoque, quanta fuerint Judæo-  
rum crimina, perscripsit.

Interim Episcopus, stimulante populo, c. 14. ad Orestem misit, qui de pace age-  
rent, imo judicem per Evangeliorum li-  
brum obtestatus est, ut in amicitiam re-  
dideret; sed furdo canebatur fabula. Tunc  
vero ex monte Nitriensi Monachi, qui in  
partes Episcopi Theophili adversus Dios-  
corum, & majores fratres præfervide  
transierant, relictis Monasteriis, nume-  
ro quingenti Alexandriam perveniunt.  
Orestem Prætorem, curru suo domo ex-  
euntem, ex insidiis circumstant, Ethni-  
cum, Idololatram appellant, aliisque in-  
juriis impetunt. Orestes, suspicatus, a  
Cyrillo sibi laqueos parari, exclamavit,  
se esse Christianum, atque ab Episcopo  
Attico Constantinopoli baptizatum. Sed  
non audiebant Monachi, quorum unus,  
nomine Ammonius, lapide Judicis capiti  
impacto,

Sæculum V. impacto, totum cruentavit. Satellites  
A.C. 415. Prætoris, ut lapidum grandinem, quem  
 Monachorum manus fundebant, effugerent, disperguntur: populo autem ad tutelam advolante, Monachi in fugam versi. Ammonius persequentium manibus correptus, Prætori sistitur, qui, in tuto iudicio damnatum, in tormentis occidit. S. Cyrillus sublatum corpus in aliqua Ecclesia deposuit, & mutato nomine Thaumasiū, id est, admirabilem appellavit, cupiens, ut Martyribus accensetur; sed sapientioribus inter Christianos factum Episcopi displicebat; ipse S. Cyrillus rem silentio pressit, atque oblivioni tradi permisit.

c. 15.

At necdum quievit populus. Suspicionibus agebatur, (\*) illustrem famulam, nomine Hypatiam, causam esse, quod Præfectus Orestes, & Episcopus in gratiam non redirent. Ea erat Philosophi Theonis filia, tanta sapientia, ut suæ ætatis Philosophos omnes longe post se relinqueret. In Schola Platonica Magistra successerat, docebatque publice, auditoribus undique confluentibus. Plures Synesii datas ad eam epistolas habemus, in quibus

(\*) Protestans hic oscitanter posuit pro verbis Fleurii: populus, suspicionibus agebatur. Der Bischof gab vor. p. 215. Iste homo somnia de delictis confictis Episcoporum præcingitur.

quibus se faminae fatetur discipulum. Saeculum V. A. C. 415.  
 Tantam Doctrinam singularis modestia Hypatia  
 condecorabat, hinc magna apud Magi- discerpta.  
 stratus pollebat auctoritate. Saepe col-  
 loquebatur Oresti, & inde suspicioni lo-  
 cum dedit, virum ab ea in S. Cyrillum  
 concitari. Ergo furiosorum hominum  
 cohors, Duce quodam Petro Lectore, ex-  
 plorato tempore, quo domus suae limen  
 erat ingressura, carpento detractam, ad Ec-  
 clesiam, quae Caesarea dicebatur, raptant,  
 spoliant, confractorum vasorum testis oc-  
 cidunt, in frustra discerpunt, membra in  
 loco, *Cinaron* dicto, flammis tradunt.  
*Hoc factum*, inquit Historicus Socrates:  
*magnam Cyrillo, & Ecclesiae Alexandri-*  
*nae creavit invidiam, quod tanta crudeli-*  
*tas a Spiritu Christianae Religionis maxi-*  
*mopere abhorreat.* Subditque: *hoc acci-*  
*dit anno Episcopatus Cyrilli quarto, Ho-*  
*norio decimo, & Theodosio sexto Consula-*  
*tum geventibus, Mense Martio, tempore*  
*jejuniorum, id est, in quadvagesima an-*  
*no 415.*

Tam effroena Alexandrinorum licentia L. 42. Th.  
 causam dedit Legi, a Theodosio mense de Episc.  
 Octobri an. 416. latae, ut Parabolanorum  
 audacia reprimeretur. (\*) Ita appella-  
 bantur

(\*) Protestans hic pag. 216. infamem Notam  
 adjecit, ex qua patet, ipsum superius verba: *der*  
*Bischof*

Sæculum V. bantur infimi ordinis Clerici, ad curas  
 A.C. 416. dos ægrotos, præsertim morbo contagio-  
 so laborantes, destinati; inde enim tra-  
 xerant nomen, quod græce tales designantur,  
 qui periculo se exponunt. Civitas Alexan-  
 drina Legatos Constantinopolim misit, qui  
 hominum istorum insolentiam accusarent.  
 Mandavit Imperator, ut Clericis universim  
 non liceret, se negotiis publicis immiscere,  
 & nominatim de Parabolanis, ne quingentis  
 plures essent, iique ex familia egena, aut  
 sordido officio; nomina eorum conscripta  
 prætorio Alexandrinæ urbis traderentur, qui  
 mortuis alios sufficeret. His nulli spectaculo,  
 aut in loco ubi Senatus congregabatur,  
 adesse liceret; non in iudicio stare, nisi  
 pro privatis suis commodis aut per Syndicum  
 possent. Verum hæc lex post menses octodecim, 13. Februarii anno  
 418. ex parte abrogata est. Numerus  
 Parabolanorum ad sexcentos auctus, rursusque

L.43. C. Th.  
 de Episc.

Bischof gab vor. non oscitanter, sed nequiter  
 posuisse. Dicit: für den *Cyrellus*, der nicht  
 werth ist, unter die Bischöffe gezählet zu werden,  
 waren das nun die rechten Leute. Ita  
 loqui audeo homo, toties impostor, quoties a  
 viro zelosissimo, & prudentissimo *Philopino* in  
 edito Indice: Anzeige der Betrüge in Religiösis-  
 Schriften. Moguntia anno 1756. imposturae con-  
 vincitur.

susque eosdem & legere, & regere Episcopo Alexandrino concessum. Sæculum V.  
A. C. 416.

§. XXVI.

*Exitus Schismatis Antiocheni.*

Porphyrio Episcopo Antiocheno vita *Theod. V.*  
 functo, successerat Alexander, qui *hist. c. 35.*  
 tam in Professionis Monasticæ Disciplina  
 peregerat, paupertatis, omniumque vir-  
 tutum studiosus; hinc, quæ magna, qua  
 pollebat, eloquentia Fideles docebat, fa-  
 ctorum exemplo confirmabat. Exhor-  
 tationum suarum vi Eustathianos Secta-  
 tores, tam diu a reliquis Catholicis sub  
 Episcopis Paulino, & Evagrio separatos,  
 ad unionem reduxit, eamque lætitiã  
 adornato festo celebravit, cui similem ne-  
 mo viderat. Omnibus tam Clericis,  
 quam Laicis suæ Communionis comitan-  
 tibus, ad locum, quo Eustathiani conve-  
 nire solebant, se contulit, cumque eos  
 ibi cantantes invenisset, suorum voces  
 misceri iussit; tumque simul omnes per  
 forum in ripa Orontis versus magnam  
 Ecclesiam procedere cœperunt. Judæi,  
 Ariani, paucæque Paganorum Reliquiæ, *Innoc. ep. 14.  
ad Bonif.*  
 ad felicissimam Catholicorum concor- *Theod. III.  
hist. c. 5. &*  
 diam ingemuere. Alexander omnes il- *ibi Vales.*  
 los, quos Paulinus, & Evagrius ordinave-  
 rant, quemque in suo ordine, inter Cleri-  
 cos suos recepit. Hoc pacto Schisma An- *Sup. l. XI.  
S. 43.*  
 tiochenum, quod 85. annis ab exilio S.  
 Eusta-